



PRÆFATIO  
D. LAVIROTTE M. D.  
AD EDITIONEM GALLICAM.

Uanquam non pauci jam prostent libri, in quibus  
Newtoni placita, seu quæ Astronomiam, seu quæ  
alias rerum naturalium scientiæ partes concernunt,  
sparsum tradita reperiuntur: deerat tamen adhuc,  
ut quidem arbitror, ejusmodi, in quo ejus Philosophiæ capita  
singula non minore accuratione, quam claritate, & singillatim,  
& conjunctim omnia exposita haberentur. Vir quippe ille sum-  
mus tam sublimi hæc in libris principiorum pertractavit metho-  
do, ut exiguis modo sit eruditorum numerus, qui, cum ceterum  
etiam nihil tam arduum habeant discipline Mathematicæ, cui pa-  
res le se non experiantur, in hæc quoque ingenii acie se penetra-  
turos sperent. Quare haud erit, cur quisquam libri, qualem præ-  
sentem lectoribus offerimus, utilitatem in dubium revocet, e quo  
ceteri quoque, qui scientiis navant operam, id expectent com-  
modi, ut ne a Philosophiæ longe præstantissimæ cognitione accu-  
rata arceantur.

Quot

Quotquot autem Newtoni disciplinæ nomen dederunt, nemo sane erat omnium, qui rem tanto cum emolumento conjunctam felicius exequeretur, quam Mac-Laurinus, quem & eminentis ingenii vis, & in abstrusissimis quibusque pervestigandis mira quedam sagacitas, ad insignem inter eos gradum evexit, quibus Mathesis splendorem suum debet. Existimabat itaque, ut quanti momenti essent illustris sui Magistri inventa, intelligeretur, e re fore quam maxime, si Philosophiæ ortum, progressumque usque ad illius tempora compendiaria narratione deduceret, ut cum hac ratione diversos ejus scientiæ status inter se componere licet, videret quisque, quantum is, in quo a Newtono collocata est, superiorum ætatum conditionem supereret.

Recensitis igitur veterum Philosophorum opinionibus, illud agit imprimis, ut Cartesii sistema evertat. Evidem facile adverteritur, haud ubique rationem, quam oportuit, præclari hujus viri meriti fuisse habitam, atque a partium studio alienum ceterum Mac-Laurinum, immodico popularium suorum amore abreptum iniquiorem fuisse adversus hominem Gallum, dum id genus conjectaria, quæ Lector deprehendet, ex ejusdem systemate deduxit; quod scilicet iis contingere videmus, qui cum litigantium partem alteram ferventius sequuntur, haud animadvertisunt, non tam adversiorum opinione a se convelli, quam ipsos apud alios in contemptum adduci.

Cartesius, quem nobilioribus multo natura dotibus instruxit, quam ut eas sub jugo illo squallere fineret, cui tanto jam tempore ceteri collum servilem in modum subdiderant, ausus est viam sibi prorsus novam ad philosophandum aperire, idque eo ardore, qui ab ipsis obstaculis, quæ objiciebantur maxima, incrementum sumere videretur; quo illud etiam effectum dedit, ut errores bene multos eliminaret, quibus ab auctoritate (cujus vis extra naturæ scientiam maxima apud nos, atque plane sacra esse debet) tantum accreverat ponderis, ut a multis velut ipsum veritatis fundamentum haberentur. Quod si porro ingenii modo sui ductum secutus in itinere nullius adhuc signato vestigiis quandoque exerravit, an non mentis humanæ brevitatem potius accusare debemus, quæ ultra ea, quæ communia jam sunt, vix quicquam aggreditur ci-

tra periculum a veritate deflectendi? jam vero postquam Geometriæ tot per eum factæ sunt accessiones, ad quam quæso amplitudinem existimare nos convenit, futurum fuisse, ut Physicam proveheret, siquidem tot experimentis, quibus nostra hæc ætas ab eruditis naturæ scrutatoribus ditata est, in suis lucubrationibus inniti potuisset. At enim non isthic locus est, ut insignis hujus Philosophi causam agamus, cuius tanta est nominis celebritas, ut nullum pene sit encomii genus; quod non dudum ei ab aliis tributum Lectoribus ipsa repetitione tedium afferret.

In libro primo hujus operis eum sibi scopum præfixit Author noster, ut ostenderet, quot errandi periculis sese expellant, qui neglectis experimentis atque observationibus, quæ sole nos in hoc naturæ labyrintho deducere possunt, vel hypotheseon quarundam, vel meditationum tantum Metaphysicarum ope, ejus arcana sese in apricum producturos sperant. Quam hic sit scopulus etiam capacissimæ cuvis menti metuendus, haud alio luculentiore exemplo docere nos potuit, quam celebris Leibnitzii.

Atque hæc, dum rei, quam pertractandam suscepit, summæ præmittit, ita Lectoris animum comparat, ut certius dein judicium de Philosophiæ Newtonianæ præstantia ferre possit, quam sequentibus tribus libris exponit. Enimvero metuendum erat, ne dum facilitatem tanto studio sectatur, tenui tantum, atque in cute extima hæsura cognitione Lectores suos imbueret. Verum qui opus ipsum evolverit, animadverteret procul dubio, nuspam illum e media, quam institerat, via exerrasse. Præterea complures diversis in locis demonstrationes videbit auctori proprias, nec non ingentem animadversionum numerum, quas ne diffusius persequeretur, operis præsentis limites prohibuerunt, ideoque in præstantissimo illo *Traictatu de Fluxionibus* ita ad omnem perduxit evidentiam, ut nec acutissimus Mathematicus in iis quicquam desideret.

Mac-Laurino Anno 1746 e vivis erepto, operis hujus ex auctoris scriptis in lucem edendi cura Domino Murdoch  
b Socie-

Societatis Regiæ, quæ Londini est, membro demandata est, quod demum superiore anno ibidem prodiit, tanta expectatum áviditate, ut qui inter futuros emptores nomina profitebantur, facile duo millia superarint, teste Catalogo editioni Anglicæ præfixo. Atque hinc utilem in publicum operam existimavi, quam versioni præsenti impendi, accuratæ certe, atque ad literam penne exactæ, quantum quidem linguarum diversa indoles ferebat, quod etiam facile mihi veniam styli neglectioris spondet, quando in opere Philosophico pluris longe est perspicuitas, quam elegantia.

Illud denique supererat, ut Mac - Laurinum proprius nosse cupienti Lectori a me satisficeret, nisi id jam ab editore Anglo fuisset præstitum, iis, quæ memoria digna videbantur, in brevem vitæ seriem digestis, quam una versam isthic exhibeo. Nulla laus viros illustres ita ornat, quam candida eorum narratio, quæ ipsi egerunt.



BRE.